

www.e-rara.ch

Theatrum orbis terrarum, sive, Atlas novus

Blaeu, Joan

Amsterdami, 1644-1645

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: T 5-8

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92289>

Monmouth-Shire. [und Silvres.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

MONMOUTH-SHIRE.



BRechinæ & Herefordiæ ad Meridianam plagam subiacet Comitatus Monmouthensis, vulgo *Monmouth-shire* Anglis, olim *Wentset*, & *Wents-land*, Britanisque *Guent*, ab urbe antiqua appellatus. Includitur à Septentrione *Munow* fluvio, qui Herefordiensis, ab *Ortu Vaga* sive *Wye*, qui Glocestrensis, ab *Occasu Remneio*, qui Glamorganes se jungit, & ab Austro Sabriniano æstuario, in quod illa flumina una cum *Ifca*, qui mediam interfecat regionem, evolvuntur. Rebus ad victum necessariis non solum sibi sufficit, sed etiam vicinis affatim suppeditat. Pars Orientalis herbida, & nemorosa, Occidentalis non nihil montana & lapidosa, non tamen colono ingrata. Gens (ut inquit Giraldus de sua ætate loquens) *Martius consuetibus usitatissima*, strenuitatis opera laudatissima, & arte sagittifera præ cæteris *Walliæ* finibus instructissima.

Ewias
Lacy
Lanthony.

In extremo ad Circium angulo, qui *Ewias* dicitur, non procul à *Munow* fluvio inter *Hatterell* montes, quos, quod instar *Cathedræ* confurgunt, *Munith Cader* dicunt, *Lanthony* sedit vetus cœnobiolum, quod *Walterus Lacy*, cui latifundia hic dedit *Guilielmus Comes Herefordiæ* fundavit, & à quo *Lacy* illi qui inter primos *Hiberniæ* expugnatores clarissimi, profluxerunt. Cœnobioli ejus situm pro me describat, qui plenius novit *Giraldus Cambrensis*, *Stat* (inquit) *in valle de Ewias profundissima, quantum est jactus sagittæ arcu transmissæ, montibus ætheriis orbiculariter undique conclusa Ecclesia S. Joannis Baptistæ, plumbeis laminis operta, lapideoque tabulatu pro loci natura non indecenter extructa, in loco videlicet ubi pauper-cula prius S. Davidis Archiepiscopi capella steterat muscositæstri solum, & hedera nexibus adornata. Vere religioni locus idoneus, & disciplina Canonica præ cunctis Insule Britannicæ cœnobiis competentissimus, à duobus heremitis in honorem heremite primo fundatus, ab omni populari strepitu in solitudine quadam longe remotus, super flumen Hodney, per vallis ima labentis situs, unde & ab Hodney Lanthodeny dicitur, Lhan enim locus Ecclesiasticus sonat. Exquisitius tamen dici potest, quod propria loci illius nuncupatio *Cambrice* est *Nanthodeny*: usque hodie enim ab accolis *Lhan Devi Nanthodeny* vocatur, hoc est, Ecclesia *David* super rivum *Hodney*. Pluvia vero quas montana creant, hic creberrime, venti prævalidi, nebule sub bruma fere continuæ. Et tamen æris quanto obtusioris, tanto benignioris, & clementioris salubri temperantia, morbi*

Hodney.

Britannia.

rarisissimi. Hic claustrales in claustris sedentes, cum respirandi gratia forte suspiciunt, ad quaslibet partes trans alta tectorum culmina, montium vertices quasi celum tangentes, ipsasque plerumque feras, quarum hic copia, in summo pascentes, tanquam in ultimo visus Horizonte prospiciunt. Hora vero diei quasi inter primam, & tertiam, supra montium cacumina vix emergens, etiam sereno tempore, corpus hic solare primo conspicitur. Et paulo post, *Rogerum Salisburiensem Episcopum*, principalem regni tunc sub rege rectorem huc fama attraxit, qui cum aliquandiu loci naturam, heremiticam solitudinem, fratrum ibidem Deo servientium sine querela statum, & sine murmure conversationem in singulis admirans considerasset; reversus ad Regem, relatisque quæ ibi repperat, relatione dignis, cum maximam diei partem in loci præscripti titulos expendisset, tandem in hoc verbo laudis præconia consummavit. Quid, inquit, plura? Totus tam Regis, quam Regni thesaurus soli claustris erigendo non sufficeret. Cum itaque tam Regis, quam curiæ totius animum in hujus verbi stuporem diutius suspendisset: tandem de montium claustris, quibus undique vallatur, enigma sermonis exposuit. Sed de hoc satis superque.

Ad *Munow* flumen visuntur *Grossmont*, & *Skinffrib*, olim *Breosorum* ex concessione Regis *Ioannis*, postea *Huberti de Burgo* castra, qui ut aulicam invidiæ tempestatem in tranquillum conferret, hæc, & alia duo castella, *Blancum* scilicet castrum, & *Hanfeldiam* Regi *Henrico Tertio*, ut haberetur in *Minori Matth. Parisiensis* historia, pro bona pace, & pristina charitate reformanda in manum resignavit.

Grossmont
Skinffrib.

In altero ad *Aquilonem* angulo, *Munow* & *Vaga*, sive *Wye* confluentes; primarium regionis opidum fere circumfluunt, & nomen imponunt, *Mongwy* enim *Britannis* dicitur, & nobis *Monmouth*. Ad Septentriones qua fluminibus defenditur, muro & fossa præcinctum erat, in medio proxime forum castellum prætendit, quod *Guilielmi Conquestoris* tempore floruit, ut in *Tabulis Reg.* videre est, *Ioannem* tamen *Baronem Monmouth* excitasse creditur, à quo ad *Lancastrensem* familiam devenit, cum illum patrimonio exuisset *Rex Henricus Tertius*, eo quod à *Baronibus* pertinaciter contra ipsum stetit; vel potius, ut in *Regis Prærogativa* legimus, quod hæredes illius fidem *Comiti Britannicæ Armericæ* præstitissent. Iam inde suis immunitatibus, quas *Lancastrenses* concesserunt, opidum celebre floruit. Sed nulla re æque insigne habetur, quam quod *Henricum Quintum Gallicæ* triumphatorem, & alterum *Lancastrensis* stemmatis decus *Anglis* in lucem eduxerit. Illum inquam *Henricum*, qui *Galliam* *Gallis* militari virtute extorsit, & *Carolus VI Gallicæ* Regem eo adegit, ut regno quodammodo renuntiaret. Ob cujus

Monmouth.

T t t t t secun-

secundos in bellis curfus, Ioannes Sewardus non infimi subfellii illis temporibus Poëta ita exultanti verfu Anglos affatur:

*Ite per extremum Tanain, pigrosque Triones,
Ite per arentem Lybiam, superate calores
Solis, & arcanos Nili deprendite fontes.
Herculeum finem, Bacchi transcurrite metas;
Angli juris erit quicquid complectitur orbis.
Anglis rubra dabunt pretiosas æquora conchas,
Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres:
Dum viget Henricus, dum noster vivit Achilles,
Est etenim laudes longe transgressus avitas.*

Galfridus
de Mon-
mouth five
Ap Ar-
thur.

Galfridum etiam Arthurium Episcopum A-saphensem Britannicæ historiæ consarcinato-rem alumnum suum jactat *Monmuthia*, virum sane antiquitatis bene peritum, sed fide, ut videtur, non antiqua, tot Milesias nugas passim ex suo ingenio interseruit. Adeo ut jam inter prohibitos ab Ecclesia Romana scriptores habeatur.

Hinc flexuoso volumine descendit in Austrum *Vaga*, in quo copiosa est salmonum piscatura à Septembri ad Aprilem. Limes hodie inter Glocestrenses, & Monumethenses, olim inter Wallos, & Anglos, juxta illum Nechami versiculum:

Inde vagos Vaga Cambrenses, hinc respicit Anglos.

Chepstow.

Qui cum jam ad ostium fere devenerit, *Chepstow* præterfluit, id est, si è Saxonico interpreteris, *Forum, Negotionis locus, Britannis Castle Went*. Opidum hoc est celebre, elivo à flumine surgenti impositum, mœnibus circumvallatur magno ambitu, quæ agros, & hortos in se includunt, Castrum habet satis spatiosum flumini impendens, & è regione stetit Prioratus, cujus parte meliori demolita, quod reliquum est in Ecclesiam Parochialem convertitur. Pons vero quo *Vaga* jungitur sublicius est, & admodum excelsus, quia accedente æstu in magnam altitudinem fluvius exsurgit. Hujus Domini fuerunt è Clarensum familia Penbrochiæ Comites, qui à *Strighull* castro vicino quod incoluerunt, *Strighullia* & *Penbrochiæ* Comites vulgo dicti, quorum ultimus Richardus vir infracto animo, projectissimis brachiis *Strongbow* cognominatus, quod arcu intentissimo uteretur, & nihil levi brachio ageret, Hibernianam Anglis primus sua virtute aperuit. Per hujus filiam descendit ad *Bigottos*, &c. nunc vero ad Comites *Wigornia* spectat. Cæterum non admodum prisca est hujus vetustas, asseverant enim plurimi, nec sine ratione è *VENTA* vetustissima urbe, non ante multa sæcula exortum fuisse, quæ quatuor hinc ad Occasum milliariibus Antonini ætate floruit, cui *VENTA SILVRV*, quasi eorum urbs præcipua, appellatur, quod nomen nec furor hostilis, nec dies adhuc interpolavit, *Caer Went* enim hodie dicitur, id est, *Urbs Venta*. Urbem autem ipsam vel hæc vel ille ita abstulit, ut tantum jam è semirutis mœnibus, tessel-

Venta.
Caer-Went.

latis pavimentis, Romanorumque nummis extitisse appareat. Ambitu mille plus minus passus collegit, ab Australi parte magna pars mœnium superest, & trium propugnaculorum plustquam rudera. Quanti tamen fuerit olim nominis, vel hinc colligatur, quod ante *Monmuthia* nomen auditum, universa hac regio ab illa *Guent*, *Went-set*, & *Wents-land* dicta fuerit. Ad hæc, ut in vita *Tathai* Britannici Sancti legitimus, Academia fuit, locus scilicet bonarum literarum studiis dicatus, cui *Tathaius* ille à *Caradoco* Rege *Inirii* filio è solitudine evocatus magna cum laude præfuit, & Ecclesiam fundavit.

Lib. Ec-
clesiæ
Landaf-
fensis.

Ad quintum hinc milliare in Occidentem *Strigulia* castrum ad montium radices sedet, nos hodie *Struggle*, Normanni *Estrihill* vocarunt, quod (ut est in *Guilielmi Primi* libro *Censuali*) *Guilielmus Fitz-Osbern* Herefordiæ Comes construxit, posteaque Comitum *Penbrochiæ* è *Clarensum* familia sedes. Vnde illi usitate *Strigulia* Comites appellati fuerunt.

Strighul
Castle.

Sub hæc ad æstuarium juxta *Vaga* ostium *Portskeweth* adsidet, Mariano *Portscith*, qui prodidit *Haraldum* anno Salutis *MLXV*, munitionem eo loci contra Wallos objecisse, quam illi statim, duce *Caradoco*, everterunt. Deinde *Throgoy* fluviolus prope *Caldecot* *Sabrina* æstuarium subit, ubi castrum mœnia, quod ad Angliæ *Constabularios* spectavit, tenebaturque per servitium *Constabulieritatis Angliæ*. Iuxta cernuntur *Wondy* & *Penbow*, olim sedes claræ familiæ de *Sancto Mauro*, nunc corrupte *Seimor*. Ad *Wondye* enim à *Wallis* extorquendum *G. Marecallus* Comes *Penbrochiæ* circa annum *MCCXL*, tenebatur opem ferre *Guilielmo de Sancto Mauro*. A quo descendit *Rogerus de Sancto Mauro Miles*, qui alteram hæredem *I. de Bello-Campo de Hach* Baronis nobilissimi in uxorem habuit, qui genus deduxit à *Sibylla* cohærede *Guilielmi illius Marecalli* potentissimi *Penbrochiæ* Comitis, *Guilielmo de Ferrariis* Comite *Derbiæ*, *Hugone de Vironia*, *Guilielmo Mallet*, viris olim clarissimis. Quorum omnium & aliorum nobilitas (ut certo ostendi potest) confluit in honoratissimo *Edwardo de Sancto Mauro*, sive *Seimor*, nunc Comite *Herefordiæ*, virtutis & bonarum literarum fautore singulari, & eo nomine merito dignus qui celebretur.

Portskeweth.

Caldecot.
Inq. 3.
Ed. 1.

Wondye.

S. Maur.
vel Seimor
familia.

Regio palustris per plura milliaria infra extenditur, *The Moore* vocamus, quæ (dum hæc recognoscimus) luctuosam cladem magno cum damno pertulit. Mare enim *Sabrinianum* cum accederet in interlunio, & assiduo *Libonoto* per tres ante dies retroactum fuisset, vehementiori *Altano* irritatum, tanto æstu incanduit, ut humiliori huic tractui, & in agro *Somersetten* si è regione glomeratis fluctibus incubuerit, ædes subruerit, & numerosa animalium capita, nec non homines oppresserit. Qua palustris hic tractus sensim prominendo procurrit in ipsa

The Moore.
re.
Inundatio
Ianuario
1607.

Gold-cliffe. in ipsa prominentia *Gold-cliffe* extollitur, id est, ut inquit Giralduſ, *Rupes aurea, eo quod aurei coloris saxa ſole repercuſſa miro fulgore ſunt rutulantia, nec mihi de facili, ait ille, perſuaſio fieri poſſet, quod fruſtratum dederit natura nitorem ſaxis, quodque ſuo fuerit floſ hic ſine fructu, ſi foret qui venas ibidem, & penultima terra viſcera arte prævia tranſpenetraret.* Quo in loco ſuperſunt reliquiæ Prioratus, qui illos de *Chandos* patronos agnovit.

Iſca fl. Poſt hanc, per paluſtrem regionem, ad *Iſca* oſtium pervenimus, quem Britanni *Viſk & Wyſk*, alii *Oſcam* nominant. Hic medium agrum, ut dixi, intermeans tribus primæ vetuſtatis urbiculis affunditur.

Gobannium. Prima in ipſo agri limite ad *Circium*, Antonino *GOBANNIVM* dicitur, ad *Iſca & Gevenny* confluentes, unde nomen inditum, hodie vero integra antiqua appellatione *Aber-Gevenny*, & contracte *Abergenny* vocatum, quod *Gevenni*, ſive *Gobannii* confluentes ſignificat. Muris & caſtro munitur, quod, ut inquit Giralduſ, proditiſſionis infamia, ex omnibus Walliæ caſtris, frequentius maculatum fuit; primum à Guilielmo Comitiſ Miloniſ filio, poſtea à Guilielmo *Breofſo*, quorum uterque nonnullos Walliæ proceres fide publica huc advocatos per amicitiaſ ſimulationem nefarie obruncavit. Sed non ſine divina vindicta; hic enim omnibus bonis exutus, conjuge & filio fame enectiſ, profugus obiit, ille ſaxo in caput impacto, dum *Breulais* caſtrum deſlagraret, ſclerum tandem pœnas dependit meritaſ. *Abergenny*, ſive *GOBANNI* primuſ, quod ſciam, Dominuſ erat Hamelinuſ quidam *Balum*, qui Brienum Wallengfordenſem, ſive *Brientium* de *Inſula*, Filium Comitiſ dictum, hæredem ſcripſit. Ille itidem duobuſ ſuiſ liberis qui leproſi erant, conſtructo hic Noſocomio, Gualterum filium Miloniſ Herefordiæ Comitiſ in partem hæreditatiſ ſuæ longe maximam vocavit. Illi ſucceſſit Henricuſ frater à Walliſ interfectuſ, qui in ejuſ terras involarunt, quaſ præfecti Regiſ non ſine magniſ periculiſ defende-runt. Per Henrici vero ſoroſrem ad *Breofſoſ*, & ab illiſ connubii jure per *Cantelupoſ & Haſtingoſ* ad Reginaldum *Grey* Ruthiniſenſem deſcendit: Guiliel. tamen de *Bello-campo* à *Greio* virtute cujuſdam tranſcriptioniſ & conventioniſ recuperavit, & ille itidem, ſi proleſ ejuſ maſcula deficeret, tranſcripſit in Thomam fratrem *Warwici* Comitem, & ejuſ hæredes maſculos. Guilielmo de *Bello-Campo* Domino *Abergenny* natus erat Richarduſ, qui ob virtutem militarem *Wigorniæ* Comes creatuſ, & Gallico bello occiſuſ unicam reliquit filiam, quam Edwarduſ *Nevill* in uxorem accepit. Iam inde titulo Baronum *Abergenny* claruerunt *Nevilli* (Caſtrum tamen diu ex illa quam dixi tranſcriptione detentum erat) Horum quartuſ noſtra memoria defunctuſ unicam tantum reliquit filiam Mariam, Thomæ *Fane* Equiti aurato enuptam, inter quam & Edwardum *Nevill* Equitem auro-

19. Rich. 2. *Cl. 19. & 21. Henr. 6. &c.* *Britannia.*

tum hærdem proximum maſculum, cui ex teſtamento, eoque authoritate Parlamentaria conſtabilito Caſtrum *Abergenny*, & pars hæreditatiſ longe maxima obtigerat, de titulo Baroniæ *Abergenny* in Comitiſ Parlamentariſ anno Iacobi Regiſ ſecundo ſeptem ſeorſim diebuſ ab utriuſque partiſ advocatiſ coram Regni proceribuſ acerrime & doctiſſime diſceptatum erat. Cum tamen juriſ quæſtio non ſatiſ eſſet explicata, ſed honorario titulo uterque digniſſimuſ pro familiaſ ſplendore ſinguliſ videretur, & certiſſimiſ conſtaret indiciſ cum titulum Baroniſ *Abergenny*, tum Baroniſ *Le Deſpenſer* ad hanc ſtirpem hæreditario ſpectare: efflagitarunt à Rege proceres, ut utrique Baroniſ dignitaſ reſtitueretur, qui libenter adnuit. Hinc propoſitum erat à Cancellario proceribuſ primum, an hæreſ maſculus titulum *Abergenny* haberet, vel hæreſ fœmella: plurimiſ placuit ut maſculo tituluſ Baroniæ *Abergenny* reſtitueretur. Cumque iterum propoſitum eſſet, an fœmellæ & ſuiſ hæredibuſ tituluſ Baroniæ *Le Deſpenſer* reſtitueretur, conſenſerunt univerſi. Quod cum Regi declaratum, ille ſuo aſſenſu regio confirmavit. Edwarduſque *Nevill* regiſ reſcripto ſtatim ad Parlamentum nomine Baroniſ *Abergenny* evocatuſ, atque in trabea Parlamentaria inter duoſ Baroneſ, ut moriſ eſt, introductuſ, & ſede ſupra Baroneſ de *Audeley* locatuſ. Eodemque tempore coram regni proceribuſ perleſtæ literæ Patentiſ, quibuſ Rex Mariam *Fane* ad ſtatum, gradum, titulum, ſtilum, nomen, honorem, & dignitatem Baroniſſæ *Le-Deſpenſer* reſtituit, erexit, præfecit, &c. habendum & tenendum prædictum ſtatutum &c. præſatæ Mariæ & hæredibuſ; quodque ejuſ hæredes ſint ſucceſſive Baroneſ *Le-Deſpenſer* &c. Nova autem ſuborta quæſtione, cui prior locuſ deberetur, an Baroniæ *Abergenny*, vel *Le-Deſpenſer*; proceres hoc ad deſignatoſ pro officio Comitiſ Mareſcalli Angliæ examinandum retulerunt, qui re mature perpenſa pro Baronia *Le-Deſpenſer* ſententiã ſuiſ chirographiſ & ſigilliſ conſignarunt, quæ lecta coram proceribuſ, & in Diarium Parlamentarium eorum juſſu relata, ex quo hæc compendio deſcripſi. Hoc caſtrum (nec eſt cur tacituſ præterirem) tenuit *I. Haſtingeſ* per homagiũ, *Wardam*, & *maritagium*, cum acciderit (ut in Inquiſitione legitur) & ſi guerra fuerit inter Regem Angliæ, & Principem Walliæ, deberet cuſtodire patriam de *Over-went* ſumptibuſ propriiſ, meliori modo quo poterit pro commodo ſuo, & utilitate Regiſ, & deſenſione Regni Angliæ.

Secunda urbecula, quam *BVRRIVM* Antoninuſ dixit, & ad duodecimũ à Gobannio miliare ponit, ſedet ubi *Birthin* profluens *Iſca* commiſcetur, Britanniſ hodie tranſpoſitiſ literiſ, *Brunebegie* pro *Burenbegie*, & *Caer Viſke*, Giraldo Caſtrum *Oſca*, & Angliſ *Viſke*, nunc ſolum caſtri ampli & muniti ruinaſ oſtendit, quod amœniſſime interſidet inter *Iſcam* flumen & *Oihwy* rivulum, qui per *Ragland* eleganteſ Comitiſ *Wigorniæ*

V u u u u

gorniæ


Baroniſſa
Le-Deſpenſer.

6. Edw. 2.

gornix ædes instar castelli cursum ab Oriente sub hoc agit.

Urbis tertia Antonino ISCA, LEGIO II dicta, ad Iscæ alteram ripam duodecim exacte milliariibus Italicis à BURRIO, ut ille notavit, distans, Britannis Caer-Leon, & Caer Leon ar Vsk appellatur, id est, Urbis Legionis ad Iscam fl. à Legionem Secunda Augusta, quæ etiam Britannica Secunda nominatur. Hæc legio ab Augusto instituta, à Claudio è Germania in Britanniam sub Vespasiani auspiciis translata, cui imperium affectanti præsto fuit, Britannicasque legiones sibi adjunxit, hic demum à Julio Frontino, ut videtur, in præsidio contra Silures locata. Quanta hæc Isca tunc temporis fuerit, audi Giraldu nostrum è suo Cambrix Itinerario, Erat hæc urbs antiqua & autentica, à Romanis olim coctilibus muris egregie constructa. Videas hic multa pristina nobilitatis vestigia, palatia immensa aureis olim tectorum fastigiis Romanos fastus imitantia, eo quod à Romanis principibus primo constructa, & ædificiis egregiis illustrata fuisset. Turrim giganteam, thermas insignes, temporum reliquias, & loca theatralia muris egregiis, partim adhuc extantibus omnia clausa. Reperias ubique tam intra murorum ambitum, quam extra, ædificia subterranea, aquarum ductus, hypogæosque meatus, & quod inter alia notabile censeas, stupas undique videas artificio miro confectas, lateralibus quibusdam, & præangustis spiraculis occulte

calorem exhalantibus. Iacent hic duo nobiles, & post Albanum & Amphibalum, præcipui Britannix majoris protomartyres, & ibidem martyrio coronati, Iulius scilicet & Aaron, quorum uterque Ecclesiam in urbe insignem habebat. Tres enim egregie in hac urbe antiquis temporibus fuerant Ecclesie. Vna Iulii Martyris, virginum Deo dicatarum choro venustata, altera vero B. Aaron socii ejusdem nomine fundata, & Canonicorum ordine præclaro nobilitata. Amphibalus etiam B. Albani doctor, & fidelis ad fidem informator hic oriundus erat. Situs urbis egregius super Oske flumen navigio mari influente idoneum, sylvis & pratis urbs illustrata. Hic magni illius Arthuri famosam curiam legati adiere Romani. Vbi & Dubritius Archiepiscopus Davidi Menevensi cessit honorem, abhinc Meneviam Metropolitana sede translata. Hæc Giraldu. Sed ad hujus antiquitatem asserendam antiquas inscriptiones quas hic nuper effossas Reverendissimus pater Franciscus Godwinus Episcopus Landavenfis venerandæ antiquitatis, & optimarum literarum cultor eximius, mihi pro sua humanitate impertivit subjungendas curavi. Anno MDCII, in prato adjuncto reperta à fossoribus fuit effigies succincta & pharetrata, capite, manibus, & pedibus truncata super pavementum tessellatum, & fragmentum aræ cum hac inscriptione literis triuncialibus, ab Hateriano Legato Augusti, & Pro-Prætoze Provinciæ Ciliciæ posita.



Extant hæc inscriptiones ad Matherum in ædibus Episcopi Landavenfis.

Anno insequenti juxta hæc etiam eruta, quæ dictam effigiem Dianæ fuisse templumque à Tito Flavio Postumio Varo veterano fortasse cohortis Legionis secundæ restitutum fuisse comprobatur.

T. FL. POSTVMIVS VARVS.
V. C. LEG. TEMPL. DIANÆ
RESTITVIT.

Et hæc etiam votiva Ara, è qua GETA Cæsaris nomen erasum tunc videatur, cum ille à fratre Antonino Bassiano sublatus, & hostis de-


claratus, ita tamen ut ex literarum ductu quodammodo appareat.

P R O S A L V T E
A V G G. N. N.
SEVERI ET ANTONI
NI ET GETÆ CAES.
P. SALTIVS P. F. MAECIA
THALAMVS HADRI.
PRÆF. LEG. II. AVG.
C. VAMPEIANO, ET
LVCILIAN.

In libris
Impressis
Claudius
Pompeianus & Lollianus
Avitus Coss.
Anno
Christi
210.

Hæc

Hæc etiam mutilata ibidem reperta Ara pulcherrima, quam sic supplendam existimo.



Hæc etiam fragmenta :

* Centu-
rio.

* 7. VECILIANA.

VIII.
7. VALER.
MAXSIMI.

Tho. Iam-
mes.

Hic etiam sub ingressum Saxonum fuit *gymnasium ducentorum Philosophorum, qui Astronomia, cæterisque artibus eruditi cursus stellarum diligenter observabant*, ut scripsit Alexander Elsebiensis author rarus, è quo mihi plurima descripsit Thomas Iames Oxoniensis vir eruditus, & vere φιλοσόφος, qui se totum literis, & libris involvit, & jam publici boni studio in Angliæ Bibliothecis excutiendis (Deus opus secundet) id molitur, quod Reipublicæ literariæ imprimis erit usui. Regnante Henr. Secundo quo tempore scripsit Giraldus, hanc satis validam fuisse videtur. *Irwith* enim de *Caerleon* animosus Britannus diu eam contra Anglos tutatus erat, donec à Rege devictus, ejus possessione exturbaretur. Nunc vero, ut

documento sit, urbium, non minus quam hominum fata volvi, in exiguum opidulum decrevit, quæ tantæ olim amplitudinis erat, & ita utraque ripa porrecta, ut S. *Iuliani* ædes clarissimi Equitis aurati Guil. *Herbert*, qui non minus ingenii judicii que dotibus, quam generis claritate fuit celebris, in ipsa urbe fuisse, & Iulii Martyris ecclesiam eo loci extitisse ferant, quæ mille plus minus passus jam ab opido abest. Ex ejus etiam ruinis paulo inferius ad *Isca* ostium accrevit *Novus portus*, Giraldo *Novus Burgus*, nobis *Newport*, recentius opidum, castro & portus oportunitate non ignotum, quo loci olim aliqua via militaris erat, cujus his versibus meminit *Nechamus* :

*Intrat, & auget aquas Sabrini fluminis Ofka
Præceptis, testis erit Iulia Strata mihi.*

Hanc *Iuliam Stratam* viam fuisse non est cur dubitemus, & si rem ad conjecturam revocare liceat, à Iulio Frontino Silurum debellatore ductam fuisse non omnino absurdum videatur. *Serpit*, inquit Giraldus, in hujus Novi Burgi finibus rivulus, cui nomen *Nantpencarn*, non tam aquarum profunditate, quam alvei concavitate, palustrique limositate, non nisi per certa vada transmeabilis; habueratque antiquitus vadum, cui nomen *Rydpencarn*, id est, vadum sub rupis capite. Quod cum jam fere incognitum Henricus Secundus Angliæ Rex forte fortuna transmeasset, Walli (qui se nimis credulos vaticiniis præbent) quasi conclamatum esset, omnem meliorem spem abjecerunt, eo quod *Merlinus Sylvester Wallorum Apollo vaticinatus fuisset*, tunc Wallorum vires fore proterendas, cum fortis & lentiginosus princeps (cujusmodi Henricus ille erat) vadum illud transfret.

Saxonica Heptarchia paruit hæc regio *Wallis montanis*, quos illi *Dun-ſettan* vocarunt, qui tamen, ut in legibus antiquis videre est, sub occiduorum Saxonum imperio erant. *Normanorum* vero primis temporibus limitanei duces gravissime affligerunt, præcipue *Hamelinus Balun*, quem dixi, *Hugo Lacy*, *Gualterus*, & *Gilbertus de Clare* dicti, & *Brienus Wallingfordensis*, quibus cum donassent Reges, quicquid hoc tractu, devictis Wallis, occupare potuissent, alii superiorem agri partem, quam *Over-Went*, alii inferiorem, quam *Netber-Went* dixerunt, in suam paulatim potestatem redegerunt.

Continet Ecclesias parvæciales 127.